

1508 tes, post impedimentis exutos tormentisque abreptis, desperatis rebus non magnopere resistentes concidit, præter illos, qui projectis armis pacem suppliciter petiverunt. pauci fuga in montes elapsi, ab Epirotis equitibus eundem casum subierunt, capitaque sunt eorum in castra relata, pro quibus singulis Livianus pecuniam pollicitus interfectoribus fuerat. ex Venetis desiderati sunt sane pauci.
Cadorarum ex-
pugnancium. Nocte ea quæ secuta est, exercitui ad quietem data, Livianus ad Germanos, qui arcem Cadorarum custodiebant, amplius sexaginta misit, imperans uti arcem traderent. I trium dierum spatiū ad eam rem sibi dari petiverunt. Livianus eorum postulatione rejecta, ad arcem expugnandam est profectus: quam cum diem totum omni missilium genere, tormentisque in adverso jugo positis continenter oppugnavisset, magnamque propugnatorum partem interficisset, muro etiam propugnaculi subrupto, reliqui postridie ditionem fecerunt. In ea oppugnatione Carolus Malatesta adolescens, saxo ab arce percussus, cum nonnullis viris fortibus interiit. Captivi, qui arcem tradiderant, una cum prioribus dedititiis, omnes quingenti armis cæterisque rebus exuti, Liviani permisso domum redierunt. Harum rerum primis in urbe nunciis acceptis, idem est responsum legato Maximiliani a Senatu datum, quod superioribus legatis Patres antea dederant: neque quidquam cum illo de cæde Germanorum communicatum. ac, ne quid ei redeunti ab armatis in Rhetico noceretur, comites sunt ducesque itineris per fines reipublicæ attributi.

Ubi ex literis Cornelii legati de prælio, deque arcis expugnatione singula ordine civitas intellexit, Livianique & consilium, & celeritas, & virtus laudari vocibus omnium cœpit: Patres, ut & illius animum alaciorem in posterum ad belli munia redderent, honorum insignibus, & magnitudine præmiorum excitatum, & reliquorum voluntates accenderent ad bene de republica promerendum, cum viderent fortis industriosque viros ab ea fieri plurimi; præfecturam omnium reipublicæ copiarum Liviano detulerunt. Ea est amplissima post imperatoris nomen di-

gni-